

INCIPIUNT DECRETA URBANI PAPAE DE COMMUNI VITA ET OBLATIONE FIDELIUM 41r

Urbanus episcopus omnibus christianis in sanctificationem spiritus, in oboedientiam et aspersionem sanguinis Christi salutem. 1

5 Decet omnes christianos, carissimi, ut eum imitentur, cuius nomen sortiti sunt. 2  
 Quid prodest, fratres mei, ait apostolus Iacobus, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam magis iudicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Qui sapiens et disciplinatus est inter vos, ostendat ex bona conversatione operam suam in mansuetudine sapientiae. 10

Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos christianos viguit et adhuc gratia dei viget et maxime inter eos, qui in sorte domini sunt electi, id est clericos, sicut in actibus legitur apostolorum: Multitudinis autem credentium erat cor et anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi, et gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebantur autem singulis, prout cuique opus erat. Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab apostolis, quod est interpretatum filius consolationis, levites Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum et attulit pretium ante pedes apostolorum, et reliqua. 15 41v 20

Videntes autem sacerdotes summi et alii atque levitae et reliqui fideles plus utilitatis posse afferre, si hereditates et agros, quos vendebant, ecclesiis, quibus praesidebant episcopi, traderent eo, quod ex sumptibus eorum tam praesentibus quam futuris temporibus plurima et eleganter possent ministrare fidelibus communem vitam ducentibus quam ex pretio eorum, coeperunt praedia et agros, quos vendere solebant, matricibus ecclesiis tradere et ex sumptibus eorum vivere. Ipsae vero res in ditione singularum parrochiarum episcoporum, qui locum tenent apostolorum, erant et sunt usque adhuc et futuris semper debent esse temporibus. E quibus episcopi et fideles dispensatores eorum omnibus communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsae enim res fidelium oblationes appellantur, quia domino offeruntur. Non ergo debent in aliis usibus quam ecclesiasticis et praedictorum christianorum fratrum vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium et pretia peccatorum atque ad praedictum opus explendum domino traditae. 25 30 35

Si quis autem, quod absit, secus egerit, videat, ne damnationem Ananiae et Saffirae percipiat, et reus sacrilegii efficiatur, sicut illi effecti sunt, qui pretia praedictarum rerum fraudaverunt, de quibus legitur in praedictis apostolorum actibus: Vir autem quidam nomine Ananias cum Saffira uxore sua vendidit agrum et fraudavit de pretio agri conscia uxore sua et afferens partem quandam ad pedes apostolorum posuit. Dixit autem Petrus Ananiae: Cur temptavit satanas cor tuum mentiri te spiritui sancto et fraudari de pretio agri? Nonne manens tibi manebat et venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es 40 5

11 Scimus vos] *in margin*: De communi vita christianorum (*with communi corrected from cummuni*) 14 credentium] *credendentium* 17 quisquam] *added* Quotquot] *corrected from Quodquod* 18 erant] *corrected from erat* 30 E] *corrected from et* 43 manebat] *corrected from manebit*

hominibus mentitus, sed deo. Audiens autem Ananias haec verba cecidit et exspiravit. Et factus est timor magnus in omnes, qui audierant. Surgentes autem iuvenes amoverunt eum et efferentes sepelierunt. Factum est autem quasi horarum trium spatium et uxor ipsius nesciens, quod factum fuerat, introivit. Respondens autem ei Petrus: Dic mihi, si tantum agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus ad eam: Quid utique convenit vobis temptare spiritum domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, et efferent te. Confestim cecidit ad pedes eius et exspiravit. Intranses autem iuvenes invenerunt illam mortuam et extulerunt et sepelierunt ad virum suum. Et factus est timor magnus in ecclesia et in omnes, qui audierant haec. 45

6 Haec, fratres, valde cavenda sunt et timenda, quia res ecclesiae non quasi propriae, sed ut communes et domino oblatae cum summo timore non in alios quam in praefatos usus sunt fideliter dispensandae, ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt, ubi traditae sunt, et quod peius est, anathema maranatha fiant. Et si non corpore, ut Ananias et Saffira fecerunt, mortui ceciderint, anima tamen, quae potior est corpore, mortua in baratro labatur. 55 60

7 Unde attendendum est omnibus et fideliter custodiendum et illius usurpationis contumelia depellenda, ne praedia sibi decretorum caelestia dicata a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitae ultionis acrimonia, quae erga sacrilegos iure promenda est, perpetua damnetur infamia et carceri tradatur aut exilio perpetuae deportationis uratur, quoniam iuxta apostolum tradere oportet huiusmodi hominem satanae, ut spiritus salvus sit in die domini. 65

8 Memoratis ergo augmentationibus ac cultibus in tantum ecclesiae, quibus episcopi president, domino adminiculante creverunt, et tantis maxima pars earum 42r abundant rebus, ut nullus sit in eis communem vitam degens indigens, sed omnia necessaria ab episcopo suisque ministris percipit. Adeo ut si aliquis exstiterit modernis aut futuris temporibus, qui hoc avellere nitatur, iam dicta damnatione feriat. 70

9 Quod autem sedes in episcoporum ecclesiis excelsae constitutae et praeparatae inveniuntur ut thronus, speculationem et potestatem iudicandi et solvendi atque ligandi a domino sibi datam materiam docent, unde ipse salvator in evangelio ait: Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelo. Et alibi: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Ideo ista praetulimus, carissimi, ut intellegatis potestatem episcoporum vestrorum in eis deum veneretis et eos ut animas vestras diligatis et, quibus illi non communicant, non communicetis, et, quos eiecerunt, non recipiatis. Valde enim timenda est sententia episcopi, licet iniuste aliquem liget, quod tamen summopere praevidere debet. 75 80

10 Vos autem hortantes monemus omnes, qui christianitatem suscepistis et a Christo vocabulum christianum sumpsistis, ne in aliquo christianitatem vestram irritam faciatis, sed sponsionem, quam domino in baptismo fecistis, firmiter teneatis, ne reprobi, sed condigni coram eo inveniimini. Et quicumque vestram 85

51 efferent te] *corrected from* efferente 57–58 ne ... abstrahunt] *omits (restored for sense)* 60 in baratro] *corrected from* dum baratri 64 promenda] *corrected from* premenda 65 uratur] *corrected from* uretur 67 Memoratis] *in margin*: Ut nullus sit indigens in ecclesiis communem vitam degens ecclesiae] *ecclesia, corrected from* ecclesias 68 president] *corrected from* praesidens adminiculante creverunt] *corrected from* adminiculant ei reverunt

communem vitam susceptam habet et novit se nihil proprium habere, videat, ne pollicitatem suam irritam faciat, sed hoc, quod domino est pollicitus, fideliter  
 90 custodiat, ne damnationem, sed praemium sibi acquirat, quoniam satius est non vovere quam votum, prout melius potest, non perficere. Gravius enim puniuntur, qui votum fecerunt aut fidem perceperunt et votum non perfecerunt aut in malis vitam finierunt quam illi, qui sine voto aut fide mortui sunt et tamen bona egerunt opera.

95 Ad hoc enim sensum rationabilem naturae munere et secundae nativitatis reparationem suscepimus, ut secundum apostolum magis, quae sursum sunt, sapiamus, non quae super terram, quia sapientia huius mundi stultitia apud deum. Quid autem suadet, carissimi, sapientia huius saeculi, nisi nocitura quaerere et amare peritura, negligere salutaria, pro nihilo reputare perpetua? Cupiditatem  
 100 commendat, de qua dicitur: Radix omnium malorum est cupiditas. Quae in primis hoc malum habet, quod, dum ingerit transitoria, abscondit aeterna, et dum foris posita conspicit, intra se latentia non introspicit, et dum aliena quaerit, sectatori suo semetipsum alienum facit. Ecce quid suadet saeculi sapientia, ut, qui boni facti sunt, mali esse malunt et per errorem mentis fieri etiam studeant peccatores, et non cogitent illam terribilem dei vocem, cum exurentur peccatores sicut fenum.

Omnes enim fideles per manus impositionem episcoporum spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni christiani inveniantur, quia, cum spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur. De spiritu sancto accipimus, ut spirituales efficiamur, quia animalis homo non percipit ea,  
 110 quae sunt spiritus dei. De spiritu sancto accipimus, ut sapiamus inter bonum malumque discernere, iusta diligere, iniusta respuere, ut maliciae ac superbiae repugnemus, ut luxuriae ac diversis illecebris et foedis indignisque cupiditatibus resistamus. De spiritu sancto accipimus, ut amore et gloriae ardore succensi, erigere a terrenis mentem ad superna et divina valeamus.

115 Data Non. Septemb. id est V. die eiusdem mensis, Antonio et Alexandro vv. cc. conss. 13

101 foris] *originally copied a foris; a expunged*    102 latentia] *corrected from laetitia*    103 facit] *added*    105 terribilem] *corrected from in terribilem*    109 animalis] *corrected from a malis*    110 accipimus] *corrected from accepimus*